

quem num. XV. & XVI. descripsimus, etiamnum accom-  
modam servavimus: Alligato nempe filo, quod in præsen-  
ti casu nullius usûs ideoque remotum fuerat, rursum ad val-  
vulæ annulum B, aut ejus loco, saltem intra canalem B D,  
fili ferreo superne hamato & gossipio inuncto per totam lon-  
gitudinem suam obvoluto &c. si vas exposito modo replea-  
tur, &, remotâ pelvi P Q, canali pelvis majoris per insertio-  
nem adaptetur, filum denique per imum foramen F (iterum  
recludendum, quia in casu proximè declarato cerâ obtura-  
tum fuerat) ac tripodis pedem cavum ritè extendatur &c. po-  
sterior clepsydræ *αὐτομάτæ* forma in illam priorem nostram  
nullo negotio commutabitur. Ex effectuum autem utrius-  
que formæ mutuâ comparatione elucescet statim, in poste-  
riore, quîcum quoad essentialia illa circumforanei conve-  
niebat, alternas fluxûs & subsistentiæ vices statas & prorsus  
necessarias esse, æqualibus ferè temporum intervallis sibi mu-  
tuò succedentes (quamvis hæc intervalla in ipsa fabrica vel  
augere vel minuere facile est, prout sc. foramina fundi D, &  
foramen pelvis P aut majora fiunt aut minora;) in priore  
autem verè arbitrarias esse, longius aut breviùs durantes, se-  
riùs aut citius sibi succedentes, atque adeò ad nutum tractan-  
tis vel inspectantium prorsus compositas; cùm posterioris  
alternationes non dependeant à tractantis vel exhibentis nu-  
tu, prout equidem gesticulationibus suis persuadere solent  
imperitæ plebi præstigiatores isti, sed ejus nutus potius se ac-  
commodat istis alternationibus necessariis, quarum instans  
momentum ex indubio semper indicio prævidere possunt;  
sicut infrà ex declaratis horum Phænomenorum causis ma-  
nifestius elucescet.

XIX. Hoc ergo modo fatoque clepsydra vulgaris ge-  
minam nobis peperit clepsydram *αὐτόματον*, & harum altera  
neptem amabilem, *πλευραῖς* analogo nomine vocitandam;  
cujus brevem descriptionem licet Actorum Eruditorum  
Collectores Lipsienses suo Mensi Julio Anni 1683. jam in-  
serue-